

22

R Y T H M I M U S I C I  
 P R O  
 L U D I S A U T U M N A L I B U S D A T I S  
 A U G U S T Æ V I N D E L I C O R U M  
 A N N O M . D C C X L V I I I .

P R O L O G U S .  
 J u v e n t u s i n G a n y m e d e H o n o r a t a .

P E R S O N Æ .

*Mercurius* personatus , seu Genius Augustanus. *Ganymedes*.  
*Chorus* Juvenum Ganymedi coævorum, & Comitum Genii.

*Mercurius*. HÆc sunt Jovis Imperia:  
 Adolescentulum præclare meritum Regalis Aquila  
 Vehat ad Sydera,  
 Ita Juventa sentiat, quam placeat,  
 Si floreat, & sapiat.

C H O R U S .

S Cande ad Sydera, Juventus inclyta:  
 Gestante famulâ, Tonantis Aquilâ  
 Ad Deos evola.  
 Disce, quam dulcia ritè promerita  
 Sint Gaudia.



*Mercurius*. Imo faceffat Fabulâ,  
 Eat in Scenam Gloria,  
 Qua Magnus quondam Carolus Juventam impertiit.  
 Spectetur Gratia, Cæsaris æmula:  
 Qua Magistratus Vindelicus  
 Multis honorandis, Præmiferis Ornandis  
 Orchestram aperit, & Scenam instruit.

)(

A R I A .

A R I A.

**A**D Jovis & Regis exemplum  
 Augustæ hic placuit mos:  
 Ut almo favore,  
 Festivo splendore,  
 Feratur Honoris in Templum  
 Vernantior Juvenum flos.  
 Sic Sobolis bonæ delectu,  
 Et Artium lato profectu  
 Ornabitur publica res:  
 Sic optimis rebus intenta,  
 Lactatæque Laude Juventa  
 Crescet in uberes  
 Patriæ spes.

*Ganymedes.*

Quiesce veredaria tantisper Aquila,  
 Triumphum sistito,  
 Dum grates munificentiae  
 Tam splendidæ dependero.

A R I A.

**A**ugusta,  
 Urbs verè Augusta:  
 Vetusta Genere,  
 Venusta specie,  
 Urbs Urbanissima,  
 Lux præclarissima, Gemma cultissima  
 Germaniæ.  
 Hæc quoque Nobilis  
 Cum Cæli maximis  
 Et Mundi Dominis  
 Est tibi Paritas:  
 Quod more Jovis, & Cæsaris stas,  
 Ludosque Scenicos,  
 Ac plausus publicos  
 Juventæ das.

C H O R U S.

**E**ja perfruere Augusto munere  
 Musarum Flûs!  
 Usu docentere  
 Jam nunc intellige,  
 Virtutis strenuæ  
 Quod labor sit eos,  
 Et honor sit dos.

CHO.

# CHORUS I.

Præmium ex Moribus:  
Seu Polymita Josepho data. *Genes. 37.*

---

## P E R S O N Æ.

Jacob. Filii. Chorus Pastorum.

*Jacob.*

**E**ja Filii, Bravium statuo, Præmium offero:  
Narrate vestra Merita, certate pro Polymita,  
Cujus facinora erunt præcipua,  
Ejus erit Victoria.

## C H O R U S.

**P**Ræcipite ut impete ruit ab æthere  
Fulminea in prædam Aquila:  
Sic nos ad Præmia,  
Sic pro Polymita, pro Gloria  
Volamus, pugnamus;  
Juvat victricia prodere merita.

*Ruben.*

Pater, si petis merita,  
Me audi, & judica.

## A R I E T T A.

**J**ejunus trepida Lupus Ovilia tentabat,  
Nuper imbellia improbus pascua turbabat:  
Quem ego vindice conterens ilice mactavi,  
Et candidissimam tibi oviculam servavi.

*Nephtali.*

Et mea merita non sunt imparia.

## A R I A D U O R U M.

**E**st Fons dilectus pecori,  
Qui bibitur ab ovibus, Pastoribus,  
Et pratis omnibus,  
Hunc ego prodidi.

*Levi.*

Meo debetur operi  
Castissima lætissimi lux Rivuli:  
Hunc ego condidi, & nomen indidi.

*Ambo.*

Mea sunt Præmia, mea Polymita.

*Joseph.*

Mi Pater optime, nõune odisti me?  
Quòd stadium mandas hodie,  
Quòd Joseph parvulus non possit currere?

A R I A.

**S**I brachiò pro Præmio certandum,  
 Si corpore, si robore pugandum,  
 Non amas Pater me, non possum vincere,  
 Obruent Fratres, & oppriment me.  
 Cor postula, Virtutem provoca,  
 Pugnabo,  
 Candido pectore, & morum decore,  
 Præstabo.

*Jacob.*

Ne Fili, ne metue:  
 Hoc in certamine  
 Non vincent manus asperrimæ,  
 Sed animæ pulcherrimæ.  
 In meo stadio Virtutibus non pedibus currendum est:  
 Non stipite sed pectore vincendum est.

A R I A.

**S**I brutas inter fraxinos,  
 Et fera Mænala  
 De Fortitudine scrutarer merita:  
 Tunc equidem durissima  
 Dodonæ brachia  
 Nodosos inter æmulos  
 Et fratres quercinos  
 Auferrent Præmia.  
 Sed meos ego Pectore non corpore  
 Athletas æstimo:  
 Justumque non è brachio, sed Animo  
 Bravium confero.

A R I E T T A.

*Dan.*

**O**Ves enumera, caulas interroga:  
 Non sunt tam candida, tam pinguis, ut mea pecora.  
 Sylvescunt vellera, turgescunt ubera,  
 Scatent Ovilia: en mea merita!  
 Mea Victoria: ne puer invola in mea Præmia.

*Josepb.*

Nota frater, quod ait Pater:  
 Non opus rusticum meretur Præmium;  
 Cedet Virtuti Polymita,  
 Mea erunt hæc spolia.

## A R I A T R I U M.

*Joseph.*

**S**T Animæ Magnanimæ  
 : Et Respondet Gloria,  
 Hos, Pater optime mores interroga:  
 Si Innocentiæ datur Polymita,  
 Meam pro Præmio Viram examina.  
 Hos mores judica, ama & æstima,  
 Virtuti debita da Præmia,

*Ruben.*

Ne inertissimæ, ne Innocentiæ,  
 Ne cedat Gloria;  
 Nostra facinora gregi idonea  
 Defensa pecora, rigata pascua  
 Ama & æstima: nobis da Præmia.

*Jacob.*

Non ego rustica, non amo merita:  
 Sit Innocentiæ Victoria,  
 Virtuti debita do Præmia,  
 Sit Joseph optime tua Polymita.

*Ruben.*

Pater Josephum diligit, nos abiecit:  
 Affectu patrio non jure merito  
 Dar Præmia.

## C H O R U S.

**Q**uid nobis cum Polymita, visamus pascua:  
 Si Patri non virilia arident merita,  
 Et nobis puerilia non placent Præmia:  
 Hæc ergo fili mi accipe spolia, & cogita,  
 Debere tua te Virtuti Præmia.

*Jacob.*



# CHORUS II.

## Præmium e Scientia:

Seu Daniel à Rege Nabuchodonosor ornatus. *Daniel. 2.*

---

### PERSONÆ.

Rex. Arioch Satrap. Daniel. Ananias. Chorus Aulicorum,  
& Populorum.

*Rex.* Effodiunt me cora Regia:  
Adsint Scientia, & recreent me.  
Ubi Chaldæi, Interpretes DEI?

*Arioch.* Non audent comparere, cum nesciant respondere.

*Rex.* Vel officium, faciant, vel è vivis abeant.  
Necessaria sunt Regi consilia,  
Et consiliis Sapientia:  
Ruina sunt obnoxia, quæ carent hac Imperia.

### ARIA.

Tunc imperat Basilicè  
Majestas Regia,  
Si regnat Fortitudine,  
Et Sapientia,  
Sed vapulant Imperia  
Vacillant Solia,  
Si Sceptra movet aurea,  
Potens Ignavia.

*Arioch.* Digna Capite aureo Sententia.

*Rex.* An superbissima Magorum Ingenia,  
Somnium devorat unicum?  
Vel loquantur, vel moriantur.

### ARIOSE.

Stupide Grex, Impia scæ!  
Vos tot audacia me per mendacia  
Tandiu fallere? vos rabula,  
Me larva fabula illudere?  
Ferte oracula prodite somnia:  
Date Sententiam, vel animam.

*Ananias.* Est Sapientia Divinæ Mentis particula,  
Tam sacra Dos,  
In sordidos non cadit animos.

ARIA.

## A R I A.

**A**rioli profani Superbia inani  
Non sciunt legere

Arcana Numinum,  
Secreta cœrdium

Non prodere.

Non penetrat in sydera frons impia  
Stultè iruspicis :

Binis se monstrat Diphtera,  
Sanctis, & Superis.

*Ephebus.*

Inventus est Hebræus Juvenis,  
Qui sperat Regia pandere Somnia.

*Rex.*

Afferte hominem DEI participem.

*Daniel.*

Rex in æternum vive!

*Rex.*

Tunc Juvenis, abdita pectoris mei introspicis?  
Et quod omnes nesciunt, tu solus scis?

*Daniel.*

Omnia scit, quem DEUS erudit.

*Rex.*

Magnifica sint tibi Præmia, mea si prodas somnia.

*Daniel.*

Quæ Somnia?

*Rex.*

Dilapsa sunt à memoria.

*Daniel.*

Audi ergo ipsissima.

## A R I A.

**N**uper in Somno Rex Magne jacebas,  
Statuam grandem miramque videbas.

Optimo Caput ab Auro fulgebat,

Manus Argentò Pectusque lucebat.

Sed Venter æreus, Pésque promiscuus,

Fragilem testam cum ferro miscebat,

Interim lapis è monte currebat,

Statuæ Pedem supremum ruebat:

Et Gigas omnis in cinerem ibat,

Pompa Colossi superba peribat:

Sed lapis parvulus, illico Maximus,

Ultra montes, & nubes exibat.

*Rex.*

Hæc est verissima, hæc mea Statua.  
Narrasti Somnium, adde augurium,  
Et dabo Præmium.

*Daniel.*

*Daniel.*

In quadriformi Machina,<sup>1</sup> A.  
Signantur succedentia, & descendencia  
Orbis Imperia,  
Tu Caput Aureum,  
Cui simile non erit alterum.  
Disparitas metallorum,  
Est genius, & Ordo Regnorum.  
Lapis deciduus, & mox eximius,  
Mortale Sceptum, finiet,  
Æternum inferet.

A. R. I. O. S. E. s

QUa mystica fulserunt metalla facie,  
Eadem comparebant Coronæ Serie,  
Quo Statua perivit contrita lapide,  
Hoc Mundus interibit mactatus funere.

*Rex.*

Date Torquem, & Purpuram,  
Thura & victimam:  
Divino Ingenio  
Promerito dicensus Præmio.  
Accede, & fruire Regali munere.

*Daniel.*

Adoro munificam Regis Clementiam.

C H O R U S.

HÆc digna Gratiâ, hæc iusta Gloria,  
Quodd Sapientiæ superbo munere,  
Regalis Dextera dat Præmia.

Omnia ad Majorem DEI Gloriam.

